

# CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

---

BERGOMENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

MARIAE DOSITEAE BOTTANI

(in saeculo: MARIAE DOMINICAE)

MODERATRICIS GENERALIS

CONGREGATIONIS SORORUM URSULINARUM  
A MARIA VIRGINE IMMACULATA DE GANDINO

(1896-1970)

---

## DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

“Christe, qui surrexisti, fac nos hoc Pascha adveniens vivere, quod nos vere religiosas in Ecclesia, secundum Ecclesiam, pro Ecclesia reddet, videlicet Te quaerentes animas, Tua persequentes vestigia; in omnibus Te diligentes, sicut Tu nos omnes dilexisti usque ad extremam Tui ipsius oblationem”.

Hanc orationem scribendo, Serva Dei Maria Dositea Bottani (in saeculo: Maria Dominica) suas litteras ad Sorores Ursulinas a Maria Virgine Immaculata de Gandino conclusit, diebus Paschatis imminentibus anni 1969. Quae eius altam humilitatem summamque oboedientiam patefacit, quibus vera filia Ecclesiae ministravit, id est illum Ecclesialem sensum, quem Sororibus suis, laetitia vultus ac sanctitatis testimonii lumine tradidit.

Serva Dei in Fani Sancti Ioannis Albi vico v.d. *Pianca*, Bergomensi in dioecesi, die 31 mensis Maii anno 1896 ortum duxit. Familia prima fuit eius vitae fideique schola. Cum magistram se fieri cuperet, quartum quintumque ludi litterarum ordinem apud collegium Filiarum a Sacro Corde Endini perfecit. In medio religiosarum versando, sincerum christianae perfectionis propositum invenit atque sacerdotis Angeli Madaschi spirituali moderationi seipsam subiecit. Iam ab illo tempore, Iesus Eucharistia et Immaculata Virgo cotidianarum rerum principatum obtinebant. Domum regressa, nomen suum edidit Sodalicio Sanctissimi Sacramenti atque votum castitatis privatim emisit. Anno 1913 divinam plane accepit vocationem ac die 26 mensis Septembris eiusdem anni ingressa est institutum, quod Servus Dei Franciscus Della Madonna anno 1818 Gandini condidit. Dum vitae religiosae aspirabat, Bergomi sua produxit studia ac magistrae diploma adepta est omnibus latis punctis. Institutionis missio, Ursulinae charisma describens praecipuum, Servae Dei vivi apostolici ardoris cunctam per eius vitam patefecit. Laicos clericosque publicae sui temporis scholae osiores conveniens, fidem roboravit atque validum testimonium praebendi necessitatem percepit.

Anno 1919, cum Novitiatum inchoaret, nomen Mariae Dositheae Eucharisticae sumpsit, quod eius pietatis et spiritualitatis propositum iam denuntiaret. Servam Dei Iesuam Seghezzi habuit magistram, quem verum mulieris consecratae duxit esemplum. Cum aliquot per annos Piliae Chiniolique Insulae doceret, non institutoriis artibus tantum eminuit, sed et spirituali iucunditate maternaque affectione, quam eius ostendebant mores. Perpetuam professionem die 3 mensis Octobris anno 1927 emisit. Inde muneribus Secretariae Generalis Congregationis et generalitiam apud domum scholae collegiique functa est moderatrix. Alumnorum familiae benevolentiam eius et auxilium semper invenerunt. Sorores, novitiae

multaeque puellae quoque spirituali ex moderamine eius interiorem ceperunt fructum.

Die 19 mensis Iulii anno 1952 Moderatrix Generalis est electa, officium quod postea aequali prudentia et sapientia duo alia sexsennia sustinuit. Illud tempus fuit Concilii Vaticani II vitaeque consecratae restitutionis, quam ipsa caritatem altiorem reddendam intellexit. Anno 1957 quandam “Cruciatam amoris” Congregationi proposuit, ita ut oratio Iesu, videlicet “Pater sancte, sint unum sicut nos” (Io 17, 11), re explicaretur. Marialem devotionem, iam a Fundatore peculiariter cultam, provexit, ex qua ipsa quoque matris tenuitatem trahebat. Novas condidit communitates in Italia, Argentina, Erythraea Aethiopiaque, ut Regnum Dei instituendis parvulis pervulgaretur. Eius Moderatricis Generalis muneris annis, Ursulinae sua in domo generalitia Foederationis Italicae Religiosarum secretariae hospitium praebuerunt, adeo ut cunctas apud Longobardiae religiosas tantum promovendi munus haberent. Ab anno 1967, erga Ecclesiae Pastorumque eius praecepta docilis, normarum fundamentalium Congregationis rexit emendationis opus. Capituli specialis mense Augusti anno 1969 primae tantum sessionis partem habere tamen valuit. Nam mense Iulio insequente, cum eiusdem Capituli extrema celebraretur pars, in valetudinario Bergomensi degens, suum Sororibus testamentum misit, fidei caritatisque, simplicitatis et fidelitatis erga Ecclesiam proposita renovando, quae continenter coluit. Precationem earum etiam petivit, ut in doloribus ad imitationem Christi Crucifixi adiuvaretur. Die 2 mensis Septembris anno 1970 albente caelo obiit postremaque eius verba, haud communi spe imbuta, “Quod gaudium! Quod gaudium!” fuerunt.

Sequentibus annis eius sanctitatis fama constanter increbescente, Servae Dei instructa est Causa beatificationis et canonizationis. Apud Curiam ecclesiasticam Bergomensem a die 27 mensis Aprilis anno 1991 ad diem 14 mensis Decembris anno 1996

Inquisitio dioeciesana habita est, cuius iuridicam validitatem ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est agnita per diei 27 mensis Februarii anno 1998 decretum. Positione perfecta, iuxta consuetudinem disceptatum est an Serva Dei christianas virtutes heroico in gradu exercuisset. Consultores Theologi die 13 mensis Aprilis anno 2021 adfirmativum ediderunt votum. Patres Cardinales et Episcopi, Ordinaria Sessione occurrente, die 16 mensis Novembris anno 2021 professi sunt Servam Dei theologales, cardinales iisque adnexas virtutes heroico modo excoluisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia iisque adnexis in gradu heroico Servae Dei Mariae Dositeae Bottani (in saeculo: Mariae Dominicae), Moderatricis Generalis Congregationis Sororum Ursularum a Maria Virgine Immaculata de Gandino, in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 25 mensis Novembris a. D. 2021.



  
MARCELLUS Card. SEMERARO

*Praefectus*



✠ FABIUS FABENE

Archiep. tit. Faliscodunensis  
*a Secretis*